


AB

153596





1. Baumgarten / Sigism. Jac. / Instit.
tutionum Hermeneuticarum, Parti-
cula ^{1^a} ~~prima~~ de Interpretatione
Scripturae Sacrae. Halle, 1752.
2. IV Symbola theotica, Halle, 1752.
Commentatio in
3. Versionem theoticam Symboli
Athanasiani; Halle, 1752.

005
2


SIGISM. IACOBI BAUMGARTEN
INSTITVTIONVM
HERMENEVTICARVM

PARTICVLA QVINTA

DE
SENSV
SCRIPTVRAE SACRAE

AD
BREVIARII HERMENEVTICI

CAP. I. §. XVIII - XX.



HALAE

APVD IOH. IVST. GEBAVER. MDCCLV.



SIGISM. JACOBI BAVMGARTEN

INSTITUTIONVM

HERMENEVTICARVM

PARTICVLA QVINTA

SECVS

SCRIPTVRAE SACRAE

BREVIVM HERMENEVTICI

HABE

AVD IONIVS GERVNER MOCCIV





§. XXXVIII.

Si in diuisione sensus scripturae sacrae insituenda argumen-
 ti locorum explicandorum ratio habetur, noua exinde Distinctio
 sensus ad ar-
 gumentum
 relati.
 enascitur sensus distributio. Quum enim librorum diuinitus
 scriptorum argumentum quadripartitum sit, atque vel rerum
 gestarum narrationibus, vel fidei doctrinis, vel vitae morum-
 que praeceptis, vel rerum futurarum praedictionibus et vati-
 ciniis constet: potest omnino, pro diuersitate tam integro-
 rum librorum quam singularum particularum eorundem, ipse
 sensus in *historicum, dogmaticum, moralem et propheticum* dis-
 terminari. Ex quo simul apparet, 1) potiore[m] argumenti
 partem, quod subinde varium et multiplex est, et libris scrip-
 turae sacrae eorumque particulis, et sensui illorum nomina
 dare; atque 2) ad plura sensus huius quadripartiti genera spe-
 ctare nonnunquam vnus eiusdemque loci interpretationem; ib. melius
 ostendit
 idque tripliciter potissimum fieri; si vel consuetaria et poris-
 mata ex argumento proximo eruenda ad sensum locorum hi-
 storiorum secundum referuntur et sub eodem comprehen-
 duntur (§. XXVIII); vel mysticus atque inprimis typicus sen-
 sus narrationum in sacris litteris obuiarum a litterali earun-
 dem explicatione distinguitur; vel parabolarum vaticinatio-
 nes a doctrinis earundem argumento propositis seorsim diui-
 sae recognoscuntur (§. XXXV).

Illis, qui tripartitam malunt hanc diuisionem, vt *moralis* sensus
dogmatico latius sumto contineatur, facile conueniet cum quadri-
 partitae diribitoribus: quod verbis nominumque ambitu et prae-
 cisione magis quam sententia differunt, atque alter alterum subti-
 litate vincere satagunt. Neque maioris nostra refert cum illis
 disceptare, qui de numero partitionis huius vel imminuendo vel
 augendo solliciti modum industriae in distinctionibus collocan-
 dae ignorare videntur: siue propheticum sub historico compre-
 hendant, quod rerum gestarum gerendarumque narratio tempo-
 re duntaxat distinguatur; siue quintum genus peculiare *paracletici*

sensus constituent, qui rectius ad dogmaticum et moralem refertur, quod speranda aeque ac credenda et agenda in sacris literis proposita a fidei officiorumque doctrina diuelli nequeant, et magna iustae consolationis pars beneficiorum praeteritorum et praesentium repraesentatione absoluitur; siue ex proxima destinatione et dispositione sermonum ad conuincendum, confundendum, reprehendendum, adhortandum et erigendum alios comparatorum totidem fabricentur sensus genera. Ut librorum historicorum scripturae sacrae bene multae particulae et doctrinarum sermonumque vel dogmaticorum vel moralium et vaticiniorum plenissimae sunt, librorum vero dogmaticorum, moralium et prophetiorum insignis locorum frequentia datur, quae narrationibus scatent: ita nonnulli veteris testamenti libri, tam *leuiticus*, quam magna pars reliquorum librorum *MOYSIS* et prophetarum, *Israelitis* olim moralis argumenti fuerunt, nobis autem historici et prophetici sunt.

§. XXXVIII.

Eiusdem di-
iudicatio.

Quod omnis haec argumenti locorum explicandorum diuersitas, qualis ea et quanta demum cunq̄ue fuerit, nihil admodum facit ad ipsiusmet sensus naturam et indolem immutandam illumque per se vel leuissime variandum: parum refragabimur, si quis maioris in distinguendis vocibus formulisque accuratationis studiosus vniuersam hanc sensus partitionem vel penitus infitari atque ex veris iustisque illius distinctionibus proscribere, vel aliter denominare maluerit, vt vel totidem genera contextus sermonum explicandorum constituentur, vel interpretatio potius quam sensus in *historicam*, *dogmaticam*, *moralem* et *propheticam* diuidatur; dummodo prouideatur, quod postrema hac distinctione satis obtinetur, ne quis existimet interpres, nihil omnino ad se redundare partium agendarum ex hac argumenti varietate, neque aliter sibi versandum esse in vnius quam in alterius argumenti sermonibus explicandis. Quo errore abrepti nonnulli interpretes vel in narrationibus explicandis neglecto penitus sensu ad consuetaria doctrinasque eliciendas illico dilabuntur, vel nimia et

im-

importuna plane sedulitate eandem in singulis locorum historicorum vocibus accurata definitione explicandis operam collocant, quam in doctrinarum locis subinde requiri perspexerunt aut ab aliis audierunt, vel vaticinia perinde ac narrationes aut doctrinas tractant omni posthabita praedictionis euentusque comparatione.

Non occupabimus hic ea, quae opportunius capite VI ad §. CXI-CXV breuiarii hermeneutici disputabuntur: de peculiari et propria singulis argumenti diuersi locorum generibus cura interpretis; quibus omnino circumspecte accommodanda est ipsius opera, vt plenus sermonum sensus recte et intelligenter perspiciatur. Generatim vero et vniuersè necessarius hic respectus ad argumenti sermonum explicandorum differentiam commemorari debuit, vt non solum quorundam artis peritorum distinctio aequis cognitoribus vel approbaretur, vel excusaretur saltem, sumta voce sensus per metonymiam pro interpretandi labore, quo eruitur; verum etiam formandi interpretes officii sui mature commonefierent.

§. XXXX.

Eadem ratione se habet partitio sensus scripturae sacrae ex diuersa illius cognitione eiusdemque diuerso effectu derivata. Quotiescunque enim dicta et facta DEI in sacris litteris obuia ita cognoscuntur, vt animum afficiant et voluntatem non solum commoueant verum etiam determinent, effectusque ad salutem homini impertiendam necessarios producant, atque haec praeualens et animata intelligentia *sensus viui, salutaris et supernaturalis* denominationibus insignitur; contra vero, vbi haec fecus eueniunt, reliqua oraculorum diuinorum perspicentia *sensus mortuus, infructuosus et naturalis* vocatur: facile apparet 1) vocem sensus *metonymice* sumi atque illius cognitionem significare, ad cuius diuersam indolem effectusque disparatos omne hoc discrimen spectat; 2) veram quidem iustam et necessariam esse ipsam distinctionem, generum vero distinctorum membrorumque partitionis denominationes non aequè commodas deprehendi, alteram imprimis

Distinctio
sensus ad cognitionis effectum relati.

tanta laborare ambiguitate, vt ea abstinere, quam sine circum-
specta explicatione et restrictione vti praeset; et 3) denique
in illis duntaxat sacrarum litterarum partibus locum habere
omnem hanc diuersitatem, quarum argumentum repraesenta-
tiones boni malique ad nos relati sufficit, licet reliquae ea-
rundem particulae non solum remotius his effectibus in-
feruiant, verum etiam ope tam consuetariorum, quam cogi-
tationis doctrinarum connexarum admodum animari possint.

Quum omnis doctrinarum factorumque consideratio *viua* vocatur,
si contemplatio ad animum reflectit in eumque sic influit, vt agi-
tetur et commoneatur, excitatione appetitionis vel rationalis ve-
sensitivae vel vtriusque simul; *mortua* vero, si ab hoc effectu de-
stituitur, atque vel sola veri certique speculatione terminatur, vel
attentionis defectu distrahitur, vel aliis repraesentationibus pes-
fundatur et profligatur: *primae* denominationi ratio constat sine
difficultate. *Alter*a paullo plus ambiguitatis habet. *Salutaris*
enim sic vocatur, non tam *obiectiue*, vt scholastici loquuntur,
ob doctrinas saluti hominum destinatas et inferuientes, quae ip-
si, cum opposito cognitionis genere communes sunt; quam
subiectiue et *formaliter*, quod sola sufficit ad salutem non osten-
dendam et eminus offerendam, sed impertiendam, atque omnes
mutationes praestat homini necessarias, vt DEO aeternum frua-
tur. *Infructuosae* vero cognitionis appellatio non indicat, plane
nullius vsus esse hanc vita cassam doctrinarum saluberrimarum
repraesentationem, vt quae non solum subinde viam facit adi-
tumque parat ad viam et actuosam earundem intelligentiam,
verum etiam magnopere prodest ad DEVM a suspitione culpae,
latae saltem, in hominum interitu vindicandum, et homines sua
duntaxat culpa pereuntes inexcusabiles reddendos: sed id signi-
ficat a fructibus homini vere profuturis derelinqui, donec diuini-
tus animetur atque obsequentissima approbatione virtutem frugi-
feram officii operandi consequatur. In *tertia* denominatione
eadem circumspectione opus est. Parum enim satisfit appella-
tioni sensus vel cognitionis *supernaturalis*, si ex sola inspiratio-
ne rerum cognitarum diuinitus in litteras relatarum deriuatur
atque ad hanc originem argumenti restringitur; nisi quis ipsas
rerum conditarum vires naturales illarumque effectus cum sum-

ma verborum confusione supernaturales] vocare malit, quod miraculo in creatione perpetrato originem suam debent. Neque tolerabilius erraretur, si haec denominatio ad vim diuinam a verbo Dei in sacris litteris diuulsam vel inspirationem nouam et iteratam efficiendam traheretur, atque secessio ab ordine et cursu regni gratiae ad hanc cognitionem producendam necessaria statueretur, non sine perturbatione finium regni naturae et gratiae ac miraculorum vtriusque. Quam ob rem vt neutri huic errori locus relinquatur *supernaturalis* cognitio sensus scripturae, ab authentica intelligentia distincti, sic vocabitur, quod per vim supernaturalem scripturae sacrae diuinitus inditam, ipsique propriam et peculiarem producitur, quae singularis efficacia verbo Dei aequae ac sacramentis, verbum visibile vocatis, competit, atque a naturali vi tam logicomorali quam rhetorica et aesthetica, quam cum aliis libris bonis communem habet, diuersa quidem est, ita tamen cohaeret, vt in adultis sine illius vsu, quoad obtineri potest, studiosissimo locum habere nequeat: *naturalis* vero, quae per hanc efficaciam naturalem scripturae sacrae, adhibitis hominum viribus naturae beneficio concessis vsuque cultis et intelligenter confirmatis efficitur, atque ob ordinem diuinitus constitutum vel neglectum vel violatum effectum supernaturalium animi mutationum destituitur. Qui hanc nomenclaturam augere fatagunt, rem impeditiorem faciunt. Ne tamen in verbis difficiles sumus, lustrabimus reliquas denominationes breuiter. Si *spiritalis* dicitur is sensus, qui et spiritus sancti operationibus producitur et nouam ac supernaturalem bonae mentis vim, quam sacrae litterae spiritum vocant, praestat, afficit et confirmat: rectius opponitur *historico* et mere *rationali*, quam vel *carnali*, qui abusione oraculorum diuinorum ad coloranda vitia atque naturae corruptionem dominiumque peccati vel defendendum vel excusandum absoluitur; vel *literalis*, vt mysticum sensum significet, quem nonnulli perperam *spiritum* vocarunt *litterae* oppositum (§. XXX). Ferri potest, non commendari, ob inuitabilem ambiguitatem, denominatio *veri* sensus pro salutari et viuo sumti, quod solus sufficit ad finem scripturae sacrae obtinendum eique praestando conuenit et respondet (§. III); *falsi* vero pro mortuo et infructuoso positi, etiamsi veritate non solum obiectiua verum etiam hermeneutica polleat (§. XVIII), quod exspe-

expectationem effectuum fallit. Neque commendabilior est distinctio sensus in *efficacem*, qui ipsa re salutem hominibus confert; et *inefficacem*, qui hoc sine excidit, licet offerat salutem atque ab efficacia, quae ipsi semper inhaeret, separari nequeat, sed sola hominum culpa ab eadem plene exserenda impediatur; quod ne in corporis quidem curatione ad conuictum inefficacis medicinae sufficeret. Minus ambigendum est aut laborandum de sensus vel cognitionis tam *experimentalis* quam *pragmaticae* denominationibus, quod sine factis experimentis doctrinarumque obseruantia nec acquiritur nec conseruatur. *Diabolicae* vero appellatio IAC. III, 15 nequicquam defenditur, ubi de malitiosa peruersione et abusione sagacitatis sermo est; quod vel solius c. II, 19 comparatione efficitur, vnde satis apparet non plane inanimatam esse peruersam diabolorum de DEO cogitationem.

§. XXXXI.

In quem cadat sensus viuus et salutaris.

Indubium est 1) vim et efficaciam supernaturalem totius scripturae sacrae singulisque illius partibus, quamuis cum gradu diuersitate et modique vel propioris vel remotioris agitationis pro argumenti conditione, competere; ipsique perpetuam esse et inseparabili nexu inhaerere, licet illam et nunquam sine usu et magis semper minusue pro diuersa vsu indole exferat; quod scholastici distinctione actuosae virtutis, quae in sermone *actu primo et actu secundo* residet, *graeci* vero scriptores *δινοίματος ενεργητικῆς* et ipsiusmet *ενεργείας*, significatum iuerunt, ROM. I, 16, HEBR. III, 12, IER. XXIII, 29, IO. VI, 63, I COR. I, 18. 21. 28, II, 4. 5. I TIM. III, 16 etc.: 2) salutarem et supernaturalem hominum ad Deum conuersionem et regenerationem pariter ac perpetuam illius continuationem et omne sanctificationis negotium verbo DEI in sacras litteras relato peragi, I PET. I, 19. 23. II, 2, IAC. I, 18. 21, IER. XXIII, 22, IO. V, 39, XVII, 17, XX, 31, IIO. I, 3. 4, III, 9: et 3) adstrictam esse hanc efficaciam salutarem ad ordinem diuinitus constitutum et Dei perfectionibus et naturae humanae conditioni conuenientissime, vt non solum sine attentione plane percipi nequeat, verum etiam pro reuerentiae, ap-
pro-

probationis, obsequii, supplicationis, studii et obseruantiae diuersitate incrementa et detrimenta capiat, atque adeo effectus illius et impediri omnino et supprimi morose, et perpetuari non interrupte et augeri continuis variisque accessionibus possit, licet ipsam hominis conscientiam subinde superet, neque ex praesente sensu metienda sit, IAC. I, 21-25, HEBR. III, 2.7, MATTH. XIII, 14-23, IO. VII, 17, XV, 7, I THESS. II, 13, PS. I, 3, CXVIII, 15.16 etc. Ex quibus consequitur, 1) non plane expertes esse irregentos homines sensus salutaris et efficaciae supernaturalis scripturae sacrae, quae in illos pariter ac in regentos cadit, licet diuerso modo atque in vtrisque admodum diuersis gradibus pro dispari singulorum habilitate et dispositione; quod gratiae praeuenientis, praeparantis et conuertentis aequae ac inhabitantis, conseruantis, sanctificantis et perficientis operationes illius ope peraguntur: 2) regentos non prorsus immunes esse a sensu mortuo et infructuoso, qui in illis locum habet, quotiescunque non solum doctrinis cognitis vel exacte morem gerere negligunt, vel incogitantia refragantur, vel incredula dubitatione derogant, verum etiam variis animi infirmitatibus et perturbationibus laborant, et acedia inprimis, inedia spirituali et stupore mentis conflictantur; licet in voluntariam neglectionem, contemtionem et repugnantiam degenerare aut apud animum praeualere nequeat sine cessatione vitae spiritualis: et 3) denique, si qua vnquam in re alia, hic certe valere, quae CHRISTVS grauissime pronuntiauit; *habenti dari ut abundet, non habenti autem demi quae habuerat*, MATTH. XIII, 12 et XXV, 29, nec proinde culpa vacare sensus viui defectum.

Hoc ipso oraculo efficitur, quod aliunde etiam confirmari potest, sollicitam operam in scrutandis sacris litteris, adhibendisque huic negotio omnibus facultatibus animi, rationis exercitiis et congruis litterarum subsidiis collocatam non solum nihil officere vnae et salutari huic intelligentiae, verum etiam insigniter eidem prodesse atque subinde ad illius incrementa magnopere requiri: licet rudioribus etiam et illitteratis summa DEI benignitas suffi-

cientem prospexerit perspicaciam doctrinarum ad salutem necessariarum, atque intensior haec mentis, ingenii rationisque occupatio eodem temporis momento cum sensibili animi, voluntatis et appetitionis commotione ardenteque desideriorum cupiditate consistere nequeat, sed vna alteram excipere, augere et aequare debeat.

§. XXXXII.

Eundem non
praestare ve-
ritatem her-
meneuticam.

Vehementia et infirmitas appetitionum easdem neque legitimas neque illegitimas reddit, quae diiudicatio a rei repraesentatione rationumque commouentium tam veritate quam proportione pendet, atque adeo intelligentiam et rationis usum requirit, quod in vtraque constituenda imaginationi, fictioni et errori locus datur. Ut igitur animi commotionum in vniuersum omnium bonitas moralis neque solo sensu vel externo vel interno diiudicari, neque ex gratarum iucundarumque sensationum multitudine aut magnitudine deriuari potest; multo minus autem ad veritatem repraesentationum, quibus niti videntur, praestandam valet: ita doctrinarum ad DEVM pertinentium cognitio viua et actiuosa nemini approbabit veritatem earundem ne obiectiuam quidem, tantum abest vt hermeneuticam efficiat aut de sensu vero locorum, vnde deriuari videtur, quemquam certiore aut indubiam iure reddat; quod non solum bene multae animi commotiones aliunde oriuntur quam ex illis rebus et doctrinis, quarum occasione excitantur, verum etiam fictae et falsae repraesentationes veri specie et similitudine animum aequae commouent ac verae, in doctrinis sanctioribus autem obiectiua veritas locum habere potest, etiamsi hermeneutica desideretur (§. XVIII-XXI). Quam obrem inexcusatissime falleretur atque in iphusmet salutis extremum discrimen se coniceret, si quis veritatem doctrinarum diuinitus in litteras relatarum, nedum interpretationis locorum, quibus comprehendi videntur, ad sensum et gustum aliquem, internum exigere, aut sola conscientia effectuum vel saluberrimarum vitarum diiudicare vellet; quod perinde esset

esset ac si animus imaginationi fallacissimae obnoxius non solum intellectui et rationi inuerso naturae ordine praeficeretur, verum etiam arbiter oraculorum diuinorum, et iudex interpretationis eorundem, constitueretur atque in principium doctrinarum diuinarum transformaretur.

Casu et fortuito sensus hermeneutice falsus effectus vere salutare producere potest, si repraesentationes, quibus mens animatur, et quae perperam pro argumento loci alicuius sacrarum litterarum habentur, aliunde ex iisdem effici poterunt, ut veritate obiectiua gaudent, quae tamen ipsa penitus periret in sanctioribus doctrinis, si vicum illius examen ad solam sensus oraculorum diuinorum veritatem exigendae tolleretur, quod per eiusmodi substitutionem, permutationem et confusionem duplicis huius veritatis committeretur. Quidquid enim fide diuina niti, atque adeo testimonio ipsiusmet DEI constare debet, sola veri sensus sermonum diuinorum demonstrari potest, ad quam omnis proinde disquisitio rationum doctrinae sanctioris singularumque illius partium recidit. Quadruplici igitur examine opus erit ad iudicandum de recta ratione commotionum pro effectibus sensus scripturae sacrae habitatum; ut sollicite inquiretur 1) in veram illarum originem et generationem, ne peregrinae, spuriae et aliunde enatae meditationi diuinorum oraculorum subrepant per assimilationem idearum, atque iisdem excitatarum prouentum mentiantur; 2) in veritatem sensus oraculorum, quibus producuntur et efficiuntur, ne in periculum errores humanos Deo affingendi incurramus; 3) in iustam et legitimam argumenti illorum oraculorum doctrinarumque vniuersalium in iisdem obuiarum ad casus singulares nostrumque statum applicationem, atque rectam ratiocinationum, quibus formantur, consecutionem, ne falsis assumptionibus ex veris principiis falsae conclusiones deriuentur; et 4) in conuenientiam harum animi commotionum cum fine ultimo scripturae sacrae, ut homines ad Deum attrahantur, et cum eodem arctissime coniungantur per CHRISTVM ipsoque aeternum fruantur, ne in carne exeant quae in spiritu inchoantur; quam ob rem ea omnia sedulo arcenda sunt, quibus vel animus effertur, petulans, profanus, immanis, effrenatus et officii immemor euadit, vel ita deicitur, ut salutem desperet Deumque

que exofus vel ferali iracundia furenter in femet ipse faeuat, vel trifti trepidatione confumatur.

§. XXXXIII.

Eidem operari debere interpretem.

Licet ex illis, quae iam disputauimus, abunde appareat, quantopere fugienda fit fanatica sensus viui et supernaturalis abufio: nihilo tamen fecius aequae follicite cauendum erit ab oppofito errore, ne exiftimemus eundem fecure et impune negligi poffe; quum interpretis omnino fit, in eodem percipiendo, obferuando prouehendoque studiosiffime elaborare et tantum, quantum potest quisque, eniti. Quod quinque potiffimum rationibus efficitur. *Primum* enim communis leetorum fcripturae faerae in vniuerfum omnium obligatio in interprete neque ceffat neque minuitur, fed insigniter augetur, vt maior cogitari nequeat, LVC. XII, 47, IAC. III, 17, ROM. II, 18-23. Idem certe finis lectionis et interpretationis librorum diuinitus fcriptorum effe debet, qui ipfiusmet fcripturae faerae eff. Neque quidquam interpretem vel beneficio fructus, fermonum faluberrimorum doctrinarumque frugiferarum capiendi fruendique benefico Dei verbo privare poterit, 2 TIM. II, 6, HEBR. VI, 5 etc., vel officio fructuum intelligentiae ferendorum voluntatisque Dei cognitae fancte et obferuanter habendae folvere. *Deinde* ea omnia, quae fenfum faerarum litterarum excipiunt, non fortuitarum euentuum inftar, fed vt veri eiusdem effectus, ad quos omnis illius intelligentia fini et voluntati ipfiusmet Dei conuenienter fpectet et tendat, ad fecunditatem fenfus ita pertinent (§. XXVIII etc.), vt non immerito fub illius notione et denominatione comprehendantur (§. XXXX). Quam ob rem partibus fuis deeffet interpretes, neque cauffae et officio fatisfaceret atque in femet ipse iniurius euaderet, fi hunc fenfum negligeret, et plenum ambitum fecunditatis fenfus faerarum litterarum, eamque potiffimum illius partem, cui reliquae inferuire debent, vt profint, animo complecti, ftudio et obferuantia profequi, aut voluptatem et vtilitatem illius variam ac multiplicem tentare,

expe-

experiri et assequi nollet. *Praeterea* mirifice auget, intendit et producit attentionem, studium et diligentiam scrutandi sensum scripturae sacrae perseverandique in illius disquisitione grata et iucunda conscientia ac recordatio salutarium effectuum, quos ipsemet interpretes eidem acceptos refert. Longe saltem enixius elaborabit in peruestigando sensu scripturae sacrae, quoad fieri potest studiosissime, neque perinde difficultatibus deterrebitur aut laborum multitudine et assiduitate nedum occupationis satietate ac taedio defatigabitur interpretes, sanctis his stimulis et igniculis animatus, singulisque accessionibus cognitionis Dei et exoptatissimae cum ipso coniunctionis et consuetudinis suum pretium statuere edoctus, atque salutares verbi diuini effectus in praestanda, conseruanda et amplificanda vera aeternaque felicitate expertus: quam alius horum omnium expertus, qui vel dicis causa, vel ostentationis et scientiae gratia, vel ad munus tolerabilius aut laudabilius obeundum has partes suscipit, easque vel desultorie et perfunctorie peragit, vel arctius circumscribit et terminat, quam certe prouehi possent et deberent. Insigniter *porro* prodest et inseruit haec opera in sensu uiuo et salutari posita clariori intelligentiae bene multarum rerum in sacris litteris obuiarum, quae experiundo facilius certius et luculentius perspiciuntur, atque cominus et coram intra animum repraesentata melius innotescunt, quam vel acutissima sagacitate ratiocinandi, imaginandique ex casibus aliquantum similibus aliorumque relatione rerum in animo gerendarum et obseruabilium notiones vnquam obtinebitur. Sola *denique* haec salutaris et diuinitus effecta scripturae sacrae intelligentia diuinam in homine fidem praestat, quae quamdiu sacris litteris ob alias rationes, quibus vel maxime credibiles redduntur, adhibetur, humana duntaxat manet, donec salutare spiritus sancti operationes diuinam conuictionem et assensionem suffecerint, quae conscientia veritatis asseuerationum et promissionum diuinarum experientia comprobatae, et effectuum supernaturalium

argumento earundem exacte congruentium atque adeo inter-
no spiritus sancti testimonio nititur.

Copiosior postremae rationis tractatio ad theologiam dogmaticam
pertinet, vna cum vniuersae efficaciae sacrarum litterarum dis-
quisitione. Ad tertiam rationem ipsa facilitas et diuturnitas re-
cordandi tam doctrinas in scriptura sacra obuias, quam verba
formulasque locorum de illis agentium iure referri meretur, quae
per naturae leges ab impressione repraesentationum cum animi
commotionibus connexarum, atque vi et robore illius, pendet.
Vnde euenire solet, vt nonnulli sacrarum litterarum lectores fre-
quentes, licet artis interpretandi regulas ignorent, atque ab eru-
ditionis adminiculis parum aut nihil instructi sint, potentiores ta-
men scripturae sacrae, rerum in illis propositarum ipsiusque lo-
cutionum parallelismi peritiores, atque sensus longe maioris par-
tis oraculorum diuinorum intelligentiores deprehendantur, quam
bene multi interpretes, sed infrequentes officiique immemores.
Neque verendum est, si eorum, quae hic disputauimus, ratio
habetur, ne vel studium operandi huic sensui salatari et fructuo-
so meditationi interpretis officiat aut incommodet, dummodo
distinctae etiam si coniunctissimae mentis occupationes eodem
temporis momento non tententur incassum; vel male intelliga-
tur, quod nonnulli verissime edixerunt, non recte intelligi, vt
fas et par est, scripturam sacram sine ope spiritus diuini.

§. XXXXIII.

Reliquae
partitiones
ignobiliores.

Quae praeter has notabiliores sensus scripturae sacrae di-
stinctiones nonnunquam memorantur ignobiliores, parum
momenti habent ad sensus aut interpretationis naturam et in-
dolem rectius perspiciendam. Ex quibus tamen quarundam
saltem mentio hic iniicienda esse videtur, vt non solum hoc
ipsum euidentius appareat, verum etiam ea opportunitate in-
terpretibus ab errandi in nonnullis earum discrimine cauea-
tur. Quamuis enim sine errore sensus distinguitur in *facilem*,
obuium planumque, qui a difficultatibus liber et expeditus
est, atque in *difficilem*, reconditum dubitandique rationibus
impeditum ac multis demum adminiculis expediendum: aper-
tum tamen veri discrimen subiret, si quis in optione plurium
vnius

vnius eiusdemque loci interpretationum facienda, alterutrum genus semper alteri praeferre vellet sine ulteriori rationum consideratione. Idem pronuntiandum est de partitione sensus in *receptum*, vulgarem, vlitatum, ecclesiasticum, traditionis exegeticae et antiquitatis auctoritate communitum, atque in *nouum*, recens inuentum, inauditum, vel inusitatum saltem et priuatum: quorum neutri generi hanc solam ob causam ad stipulandum est, quod vetustatis aut nouitatis commendatio nec ad fidem veri nec ad suspicionem falsi sufficit. Neque aliter se res habet in distinctione sensus *sterilis*, macri et ad consecretaria practica minus accommodati, a *fertili*, abundante doctrinarum ferace et vtilitatibus locuplete.

Supernacaneum esset, plura hic attingere de sensu vel ex sili locorum explicandorum diuersitate distinguendo, quorsum ellipticus, abruptus, aphoristicus, periodicus, poeticus horumque similes pertinent; vel ex sectarum religiosarum partiumque de sanctiore doctrina diuersa sentientium discrimine distribuendo et denominando, quod in oraculorum potissimum classicorum doctrinas controuersas et characteristicas comprobantium explicatione locum habet; vel aliunde ex iis, quae casu et abusione accidunt, partiendo, quo controuersus, publice proscriptus, offensionis et scandalo obnoxius et qui his gemini sunt, referuntur. Qui intelligentiam vnius alteriusue locutionis locorum explicandorum *incompletum* sensum vocant, omnium vero singularumque locutionum et nexus, quo cohaerent, perspicentiam *completum*, a notione sensus (§. XVI) nimium recedunt, eumque cum significatibus confundunt (§. XV).

§. XXXV.


Priusquam integro huic capiti de sensu scripturae sacrae finem faciamus, duo duntaxat consecretaria eorum, quae ad huc disputauimus, breuiter subiiciemus. *Vnum* ad ipsum interpretis sacrarum litterarum officium spectat, cuius est summa virium contentione et enixissimo studio in eam curam et cogitationem incumbere, vt non solum verum sensum locorum explicandorum intelligenter perspiciat (§. XVII), atque adeo

Consecretaria
eorum, quae
disputauimus.

adeo et ex ipsa scriptura sacra sermonisque interpretandi contextu illum eruat (§. XXIII), et eundem neque augeat, neque minuat, neque alteret aut immutet, sed easdem pariter ac totidem, neque plures paucioresue, neque ampliores adstrictioresque, repraesentationes ad illum referat, quam per verba finemque loquentis determinari existimat; verum etiam supremum, quem quisque obtinere potest, et fecunditatis (§. XXVIII), et conuictionis (§. XXXVI), et salutaris effectus (§. XXXX) gradum consequatur. *Alterum* ad officii et obligationis magnitudinem et grauitatem pertinet, quae in sacrarum litterarum interprete tanta est, vt in quemquam aliorum vel sermonum vel librorum interpretem nec aequalis nec multo minus maior cadere possit, siue scriptoris auctoritas, siue argumenti dignitas, siue finis et effectus incredibilis praestantia, ac summa tam vtilitas quam necessitas ad veram felicitatem spectetur. Religiosissime igitur cuius cauendum est, ne opera aut culpa vel leuissima partium suarum quidquam negligat et praetermittat.

In ipsis experimentis interpretandi faciendis ponendisque artis tirociniis serio vtrumque cogitandum est, ne quis leuitati et negligentiae sensum assuescat et consuetudinem contrahat difficulter superabilem. Facile haec ad ipsum aduinculorum quorumuis usum extendi possent, nisi alio loco id ageretur opportunius.




 AESTVMATISSIMIS
 DISSERTATIONIS HVIVS
 DEFENSORIBVS
 IO. CONRADO IANSSEN
 ET
 GER. IVLIO CONERS

SAL. PLVR. DIC.
 SIG. IAC. BAVMGARTEN.

Duo potissimum sunt, quae nunc publice ad vos scribenda esse existimo, vt et rationes, quas habui complures, cur vnicam hanc institutionum hermeneticarum particulam VOBIS ambobus communiter defendendam dederim, non tam VOBISMET ipsis, quibus id gratificatus sum, quam aliis approbem; et solemnissime ex disciplina mea ac diligentiae doctrinaeque vestrae testificatione meo in vos amori fideique, cui vos tradidistis, satisfaciam. Causae capiendi hoc consilium bifariam commode distribuuntur, atque cum necessitates meas tum Vestra emolumenta spectant. Incidit enim subeundus hic labor in maximarum quasi concursum occupationum, infirmae valetudinis homini et ex morbo pertinaci vix restituto longe molestissimum, quae ipsa laborum intermissio haud exigua effecit, vt maius nunc pensum plurimum

N



rium operum dudum conditorum ad nundinas *lipsienses* accurandum restet, quam vel valentissimum laboriosissimumque mancipium absolueret. In tanta igitur laborum accumulatione, quae ex aliquo iam tempore prouideri potuit, licet Vestram disputationem aliis libris editioni parandis praefendam esse duxerim, idemque alii commilitoni a se scriptam dissertationem defensorum atque his diebus in cathedram a me deducendo receperim: operam tamen dandam esse putavi, ut omnium, qua redimi possit, minima temporis iactura, minimoque librarium detrimento illud fieret. Cui curae opportunius certe consilium accommodari non potuisset hac ipsa societate unius eiusdemque disputationis inter vos communicandae. Sola haec ratio sufficeret ad eius rei causam, si opus esset, vel apud difficillimos arbitros agendam, quod necessitatis magis quam arbitrii fuit: apud me tamen tantum non valuisset, quantum utilitatis, ad vos aliosque VOBIS similes exinde redundaturae consideratio potuit. Ut enim non commemorem ipsam hanc praerogatiuam laboris VOBIS destinati e re Vestra fuisse, ne vel reditus in patriam tardaretur, vel operae meae denegatione sumptuum in publicanda dissertatione a VOBIS faciendorum difficultas auerteretur: fatebor quod res est, studium minuendi impensam satis per se leuem, si librarii sumptibus disputationes prodeunt, illis, quibus ex mandato regio publice disputandum est, augendique iisdem gloriosi obsequii facilitatem maximopere me mouisse ad ineundum illud consilium aliarum academiarum, *tubingensis* imprimis, exemplo, ubi haec vel duobus plurium defensorum communitas unius disputationis longe frequentissima est, dudum ante quam haec necessitas accelerandi contrahendique, quoad fieri potest studiosissime, labores meos



meos, in quam me coniectum sentio, vlla sagacitate humana praeuideri potuit. VOBIS igitur Vestraeque fortunae, industriae et dexteritatis exploratae auditoribus meis stipendio et auctoramento publico ad litterarum studia tractanda subleuatis atque disputandi necessitate adstrictis ea re commodare, quam meae vel vtilitati vel estimationi inferuire malo. Deproperandum nunc erit alterum harum litterarum argumentum significandi publice, quales vos cognitos et compertos habeam, vt aditum VOBIS ad aliorum cognitionem et benevolentiam patefaciam et muniam, quibus studia Vestra probari mea pariter ac Vestra et vtilitatis publicae plurimum interest. 39 Trium annorum apud nos transactorum stadium ita emensi estis, vt nemini aequalium solertia virumque contentione concesseritis. Scholis meis *dogmaticis, hermeneuticis, antitheticis, symbolicis*, theologiae *moralis*, et *historiae* coetuum sacrorum, atque interpretationi vaticinii IOELIS epistolarumque PAVLI ad *Ephesios* et *Thessalonicenses*, TVQUE CONERSI exegesi epistolae ad *Colossenses*, IANSENI vero epistolarum ad *Philemanem* et *Galatas*, neque minus exercitiis disputandi domesticis assiduam operam dedistis. Auditionibus praeter ea historicis venerandorum collegarum KNAPPPII et SEMLERI, iuris canonici et naturalis excellentissimorum NETTELBLADTI et SCHEPLERI, philologicis, mathematicis et philosophicis celeberrimorum STIEBRIZII, WEBERI et EBERHARDI atque clarissimi HASII interfuistis. Accessit ad laudabilem hunc proficiendi ardorem honestatis, modestiae, virtutis et officii studium, quod prae VOBIS tulistis. Quibus rebus factum est, vt non solum in meis vos habuerim, verum etiam nunc non dimittam sine bona spe et singulari exspectatione fructuum

N 2

doctri-



doctrinae, quam imbibistis, vberimorum, a VOBIS et
 capiendorum in rem Vestram et ciuitati sacrae ferendo-
 rum feliciter. Quam vt per omnem vitam reliquam
 sustineatis, impleatis, augeatis et superetis, atque de re
 sacra CHRISTIQUE populo pro opportunitate viribusque
 diuinitus concessis bene mereamini, cum DEVM O.M.
 VOBIS comprecor praesentissimum, cuius benignissimo
 numini pro salute felicitate et fortuna Vestra supplicare
 non desinam, tum vosmet ipsos maiorem in modum
 rogo et vehementer etiam atque etiam pro amicitia no-
 stra hortor et obtestor, vt ea in re enixe et diligenter
 elaboretis. Id si a VOBIS impetrauero, et in VOBIS
 formandis ornandisque operae pretium fecisse et summo
 me Vestro beneficio affectum esse arbitrabor. Dedi

Halae ad Salam in acad. Frideric. die III id. April.

clbccciv.





153596

8

AB: 153596

X 2261989

188





SIGISM
INS
HERM

SCRIP

BREVI

APVD

B.I.G.

Farbkarte #13



RTEN
M
RVM

RAE

TICI

LV.

